

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6465

Autre(s) référence(s) : Bates 52

Auteur(s) : Odon, Bayeux (évêque)

Bénéficiaire(s) : Caen, Saint-Étienne (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : [1079-1083]

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Odon, évêque de Bayeux, donne à l'abbaye Saint-Étienne de Caen de divers privilèges concernant le droit épiscopal.

Tableau de la tradition

Copies manuscrites

B. Caen, Archives départementales du Calvados, 1J41, f. 7-9.

Éditions principales

- a. Haskins Charles Homer, *Norman Institutions*, Cambridge, Harvard University Press, 1918, p. 34, note 134 (extrait).
- b. Bourrienne Valentin (Abbé), *Un grand bâtisseur : Philippe de Harcourt, évêque de Bayeux (1142-1163)*, Paris, Naert, 1930, pièces justificatives, n° I, p. 133-134 ; n° II, p. 135-136 (actes remaniés sous le nom de l'évêque Philippe d'Harcourt).
- c. Lemarignier Jean-François, *Étude sur les privilèges d'exemption et de juridiction ecclésiastique des abbayes normandes depuis les origines jusqu'en 1140*, Paris, Picard (Archives de la France monastique ; 44), 1937, pièces justificatives, n° II, p. 294-296.
- d. Musset Lucien, *Les actes de Guillaume le Conquérant et de la reine Mathilde pour les abbayes caennaises*, Caen, Caron (MSAN ; 37), 1967, n° 13.
- e. Bates David, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, the Acta of William I (1066-1087), Oxford, Clarendon Press, 1998, n° 52, p. 243-248.

Dissertation critique

Datation proposée par D. Bates (voir BATES, *Regesta Regum Anglo-Normannorum*, p. 245).

Texte établi d'après e

Notum sit omnibus christianæ religionis cultoribus quod ego Odo, dispensante Deo Baiocensis æcclesie antistes, concedente capitulo nostro, trado cænobio quod a domino meo Will(elm)o, Angl(or)um rege, Normann(or)um et Cenomann(or)um principe, in burgo Cadomo in honorem beatissimi prothomartyris Steph(an)i constructum est, de iis solis æcclesiis, domibus, terris quæ prefatæ abbaciæ datæ sunt ante dedicationem vel dedicatione, id est de eo quod habebat ipsa die in Cadomo, de toto Villario, de tota terra quam Millo dedit filiæ suæ Beat(ri)ci in coniugium

Venuntio et de duodecim iugeribus terræ quam emit abbas Lanfrancus in eodem Venuncio, de pratis que vendidit Will(elmus) de Corcella predicto abbati fædio meo, de toto Ros preter æcclesiam, de toto Ceuso cum æcclesia, de eo quod tenuit Grimaldus in Alamannia et in membris eius, scilicet Stavellis, Icio, Fulbertfolonia, Borgesbud, de domo Rogerii et dimidia acra terræ de Hogo, de eo quod tenuit Guill(elmus) de Landa in Bracio, de toto Carburgo, de burgo Divæ cum antiqua capella usque ad pontellum qui dividit Baiocensem episcopatum a Luxoviensi, de silvis de Malo Pertuso, Tortavalle, Folonia, Caisneto, cum terris et aquis et æcclesiis quæ eisdem silvis pertinent, de duobus molendinis in maiori burgo Cadomi, de vinea cum domo vinitoris in Badvento, de eo quod tenuit Ricardus Goiz in Ruscavilla, de eo quod tenuit Will(elmus) camerarius in Curleio et de duodecim iugeribus terre quam Serlo monachus vendidit in eodem Curleio, de eo quod tenuerunt Robert(us) Bertrannus et Rannulfus vicecomes in Britavilla Orgulosa, de quatuor domibus in civitate Baioca, una scilicet que fuit Odonis capellani et tribus Tedaldi quondam clerici Euremeri, de domo et terra Anchitilli Waragnonis in Houetot, de molendino uno super Leisam cum dimidia acra terræ et insula modica quæ eidem molendino proxima est, de tota terra Rogerii Calvi de Britavilla super Leisam et de dimidia acra quam dedit Rogerius filius Bersad, de tota terra Louet quam vendidit Lanfranco in Bilieto et Walmareto, cum parte æcclesie quæ ad ipsum pertinebat, de terra Hugonis quæ est unius carruce, et æcclesia Sanctæ Mariæ in Matrevilla, de terra quam dedit Rodulf(us) filius Herfredi in Baduento, et de terra unius carruce quam vendidit Rodulf(us) filius Constantini in eodem, de xxi iugeribus terræ quæ dedit Ascelinus de Abonelvilla in eodem, et de quinque iugeribus terræ quam dedit Serlo mariscalcus in eodem, et de xxcim iugeribus terræ quam donavit uxor Roberti balistarii in Siccavilla, de terra quam tenebat Hugo de Rosel in Grainvilla ; de his, inquam, predictis de iure æcclesie Sancte Mariæ Baiocensis trado ista quæ hic determino, videlicet de omnibus in prefatis æcclesiis, domibus, terris, habitatoribus, omnium forisfactorum de criminalibus peccatis vel non criminalibus prodeuntium pecuniam, et de ipsis omnibus habitatoribus, de non criminalibus pænitentie iniunctionem. Addo etiam ut, ex ipsis criminalibus peccatis quandocumque in præfatis æcclesiis, domibus, terris audiri contigerint ab archidiacono Baiocensi, abbas vel prior prædicti cænobii, non ipse super quo crimen auditum fuerit, moneatur et ibidem, ab utroque disposito termino congruo ac præfixo die, conveniant monachus et archidiaconus, et in ipsa parochia in qua crimen auditum fuerit, prædictis præsentibus, inquiratur, inquisito discutiatur, et discussio, si inde iudicium portandum prodierit vel cognitio peccati patuerit, Baiocensis æcclesia ut decet requiratur, vel causa examinationis, vel gratia consequende reconciliationis. De prefatis vero, synodoticum debitum et circatam et in Pentecoste processiones et alias æcclesiasticas consuetudines et ut prescriptarum æcclesiarum clerici sic legitime statutis temporibus ad synodum veniant, ne sub aliqua occasione ab eis pecunia requiratur. Trado etiam consuetudinem plaustorum quæ de Besacia ad Cadomum venalia ligna ferunt, postquam intra leugam predicti burghi intraverint, omnem consuetudinem omnium domorum ad Baiocensis æcclesie ius pertinentium quæ in burgo monasterii sitæ sunt, duas partes decimarum de terris quas predictum cænobium habet in territorio Cadomi et Villarii, Villariensem æcclesiam et æcclesiam Sancti Nicholai. Quicumque vero de maiori burgo, cuius sepulture ad ius episcopii Sanctæ Mariæ Baiocensis pertinent, in cimiterio prefati cænobii sepeliri petierit, liberrimam ex nostra concessione absque omni contradictione habeat potestatem. Si autem mortuum quis illuc transferre voluerit qui vivens non requisierit, hoc concedo fieri cum licentia tamen ministri mei. Pro qua mea traditione, ne quis eam successorum meorum quandoque valeat dissolvere, dedit dominus meus Will(elmus) Anglorum rex, Normannorum et Cenomannorum princeps, in dedicatione æcclesie Sanctæ Mariæ Baiocensis, perpetuo iure possidendam, silvam quam Elam vocant, pro salute quoque anime suæ, uxoris, parentum ac filiorum suorum. Hanc cartam firmaverunt omnes subscripti : Willelmus rex Anglorum, princeps Normanno(rum) et Cenomanno(rum), Will(elmus) Rothomagus archiepiscopus, Odo Baiocensis episcopus, Mathildis regina Anglo(rum) et comitissa Normanno(rum) et Cenomanno(rum), Will(elmus) abbas Fiscanni, Rob(er)t(us) comes predicti regis filius, Ricardus filius Gisleb(er)ti comitis, Rob(er)tus de Bello Monte, Hugo de Grentemaisnil, Henricus de Ferreriis.